

XXVI. *Απόφασιν* autem sive negativam *Theseos* nostrae sententiam quod attinet, constat ea his verbis: Credimus etiam, docemus, & confitemur, quod bona opera penitus excludenda sint, non tantum cum de justificatione fidei agitur, sed etiam cum de salute nostrâ æternâ disputatur, sicut Apostolus perspicuis verbis testatur, cum ait: Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert justiciam sine operibus: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, &c. & alibi, Gratia, inquit, estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

XXVII. *Quâ* assertione luculentâ, Bona opera ab omnibus causis, mediis & requisitis justificationis & salutis, quae ad eandem aliquid facere & conferre posse videbantur, simpliciter sequestrantur atq; removentur.

XXVIII. Si enim Bona opera aliquâ ratione, ad justiciam & salutem hominum concurrerent; tum tanquam *συναιτιον* quoddam adjungerentur Gratiae Dei in primo genere causae aut satisfactioni Christi, ut meritum, in secundo, aut Fidei, vel ratione applicationis vel conservationis justiciæ in tertio: vel etiam essent pars quaedam aut forma illius justiciæ, quâ credentes coram tribunali Dei consistunt, vel saltim ratione praesentiae, & ut causa sine qua non ad justiciam & salutem consequendam forent necessaria.

XXIX. *Quod* autem Bona opera nihil omnino faciant ad salutem conferendam vel promerendam, applicandam aut conservandam, perficiendam aut consummandam, aut alio aliquo modo promovendam, illud fixis & immotis rationibus, contra omnes omnium temporum hereticos, praesertim verò adversus

*Απίφασιν*  
Bona opera non sunt necessaria ad salutem consequendam.

Remotio operum ab omnibus causis & mediis justificationis & salutis.  
Probatio *επαγωγική*.

*επαγωγική*  
constat septem membris.